

Budes :

De sigillifera

Episcoporum

comprimi

Germanie



16



1720

DE
SIGILLIFERIS EPISCOPORVM
CVM PRIMIS
GERMANIAE

BREVITER QVAEDAM STRICTIMQVE DISSERIT
ATQVE
SVB HOC ARGVMENTO

MAGNIFICO AC ILLVSTRI
VIRO
DOMINO
BVRCARDO GOTTHELFFIO
STRUVIO

IVRIS CONSVLTO CELEBRATISSIMI NOMINIS
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM ERNESTINAE PROSAPIAE
VT ET SERENISSIMI MARGGRAVII BRANDENBVRGO-CVLMBAE
CENSIS CONSILIARIO ETIAM AVLICO DVCALI HISTORICO
IVRIS ET HISTORIARVM PROFESSORI PVBLICO

PATRONO INDVLGENTISSIMO
FASCES ET SIGILLA
ACADEMIAE IENENSIS

ITERVM
SOLEMNI CAERIMONIA
SVSCEPTA
EA QVAE CLIENTEM DECET
OBSERVANTIA GRATVLATVR

CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER

IENAE LITERIS FICKELSCHERRIANIS.

NOVEMBER 1720
KUNSTLICHE
BIBLIOTHEK
JENAE

EX quo Episcopi, qui pastores doctoresque esse debebant, domini ac principes sunt facti, non ipsorum solum Aulæ, Officialium, qui splendoris cultusque causa constituuntur, ordinibus, sunt repletæ, sed tales quoque magno numero adlecti, quorum in Iurisdictione Ecclesiastica, opera, vterentur. Nolo heic expilare, amplissimos de Personis Ecclesiasticis, deque Episcopis & horum potestate commentarios, quorum ne nomina quidem hæc pagina capit, sed pauca quaedam de *Episcoporum Sigilliferis horumque Munere & Potestate* exponere, constitui, quum deprehenderim, vel in vastis Iuris Pontificiorum Ecclesiastici libris, qui ex instituto de Personis & Dignitatibus ecclesiasticis perscripserunt, quosque sane multos, magna cum cura, ut fere temporis me poeniteat, euolui, rarissimam huius Officii esse commemorationem. Iam vero inter omnes constat, ab iis temporibus, quibus Tribunalia Episcoporum Ecclesiastica, ad normam Iudiciorum Ciuiliū ordinata fuere, Antistites cum aliis Iurisdictionis potestatisque insignibus, sublinere quoque *Ius Sigilli* accepisse * *authentici & publici*.

Neque

* Confirmauit, vt ex pluribus testimoniis vnicum saltim adferam, Episcopis aliisque ecclesiastici Ordinis Viris eminentes Sigilli Ius CONCILIVM LONDINENSE, quod anno MCCXXVII. Præsidente Ottone Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ ad Anglos in templo S. Pauli celebratum fuit, cuiusque Canones MATTHÆVS PARIS, Monachus Albanensis, *Historiæ suæ Maiori* inferuit: vbi p. 384. decernitur. Quoniam Tabellionum vsus in Regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad Sigilla authentica credi est necesse, vt eorum copia facilius habeatur statuimus, ut SIGILLVM habeant non solum Archi-Episcopi & EPISCOPI, sed & eorum OFFICIALES. Item Abbates, Priores, Decani, Archi-Diaconi & eorum Officiales, Decani rurales, nec non ecclesiarum Cathedralium Capitula, & caetera quoque Collegia & Conuentus cum suis Reſtoribus aut diuisim iuxta eorum consuetudinem vel statutum; pro varietate quoque cuiuslibet prædictorum, habeat vnusquisque Sigillum nomen, puta, dignitatis, officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore insculptum notis & characteribus manifestis, sicque SIGILLVM AVTHENTICVM habeant. Denique illi qui temporale officium susceperint puta Decani rurales & officiales Sigillum suum, quod tantummodo ad officium suum

DISSERTATIO EPISTOLICA.

Neque tamen exinde peculiaris *Sigilliferorum* Officii re-
peto primordia, quum multa quidem de Sigillis Episcoporum
horumque usu & abusu inter legendum sese mihi, Conciliorum
Canones, scriptorumque testimonia * obtulerint, nec tamen fa-
cile recordor, me *Sigilliferi*, munerisque singulari cuidam per-
sonae commissi, mentionem factam, deprehendisse. A Seculi
vero XIV. aeuo, frequentior *Sigilliferorum* est memoria, quam
Statuta & Canones Ecclesiarum Hispanicarum, Gallicanarum,
Anglicarum & Germanicarum subinde exhibent. In Italicarum
vero Ecclesiarum monumentis, quae mihi quidem fuere ad ma-
num, Officii huius nomen reperire nondum potui, credo ta-
men ex parte sub Cancellarii nomine contineri, quum quae de
munere Cancellariorum Episcopaliū exponunt Iuris Canonici
prout apud Italos viget, interpretes, † muniis Sigilliferorum
fere

*finito officio, ei a quo habeant officium, continue & sine mora resignent. Sa-
ne de custodia Sigillorum curam haberi praecipimus diligentem; scilicet
vnusquisque per se illud custodiat, vel vni soli de cuius fide confidat, cu-
stodiendum committat: qui etiam iuret, quod fideliter illud custodiet, ali-
cui nec etiam ipse aliquid inde sigillet, ex quo possit alicui praecudicium ge-
nerari; nisi quod Dominus eius prius legerit & viderit diligenter & sic
praeceperit sigillari. In faciēda vero Sigilli copia, fidelis & prouida sit
cautela: fidelis vt indigentibus de facili praebeatur: prouida, vt falsis &
fraudentis penitus denegetur. In principio quoque vel in fine cuiuslibet,
scripturae authenticae sufficientem datam inseri statuimus, diei, temporis
& loci. Debeo hunc locum, quod ingenue profiteor ANTONIO DA-
DINO ALTESERRAE doctissimo Galliarum Iure-Consulto, qui eundem elegan-
tissimi nostrisque in oris rarissimi, de Ducibus & Comitibus Galliae, Commenta-
rii Lib. III. C. IV. quo de Iure Sigilli Authentici exposuit, recitat, id quod
exinde & eruditissimus Decretalium interpres EMANVEL GONZALEZ TELLEZ,
ad C. Dilecta de Excessibus Praelatorum fecit, multosque ad hoc argu-
mentum facientes probae notae auctores, laudauit.*

* Talia summo studio, selectu, & iudicio collegit elegantissimae doctrinae
Gallus & Oratorii Presbyter LVDOVICVS THOMASSINVS, *Veteris & Nouae
Ecclesiae Disciplinae circa Beneficia* cultissimo opere Parte III. Libr. I.
Cap. LXII.

† Adhibe Lector Benigne, quando ad manus est IOANNIS FONTANAE Epi-
scopi Caesenatis *Tyrocinium Episcoporum*, ab auctoris e fratre Nepote,
ALDIGHERIO FONTANA *Venetii* 1717. 8. editum, *Libri II. Cap. XI. p. 130.*

fere conueniant. Non est autem iam animus, ire per Ecclesiarum mediū recentiorisue aeuī annales, conciliorum, cum generalium, tum prouincialium Canones, Antistitumque Statuta, quorum magnus sane est apparatus, insignemque copiam ex scriptoribus iam editis, codicibusque manu exaratis Ecclesiarumque Germaniae Archiuis protulit, Amplissimus Vir IOANNES CHRISTIANVS LÜNIGVS * cuius in colligendo diligentia proficua admodum est Germaniae, indeque Muneris quale *Sigilliferi Episcoporum* vbique gerunt designare rationes, quem laborem, nec conditio mea, nec temporis fert ratio, sed Tua Lector Propitiae indulgentia, constitui, quantum summa, quae me premit festinatio permittit, quasdam saltim *Officii Sigilliferorum Episcopaliū partes* ex Germanicarum Ecclesiarum quarundam Actis repetitas, indice digito, strictimque designare. Principio autem haut est dissimulandum, non omnibus Germaniae in Episcopatibus, hoc Officium singulari commissum personae, vsu venisse, nec eadem in omnibus Ecclesiis potestate praeditos *Sigilliferos*. Quantum ergo perspicere potui, cognoui, quibusdam Germaniae in Episcopatibus *Sigilliferos* Officialibus Episcoporum, quorum in Curia Episcopali Iudicioque permagna est auctoritas satisque ampla potestas, quasi esse adiunctos, ** locumque inter

Iudi-

* *Spicilegii Ecclesiastici Tribus* in F. Tomis, *Lipsiae* 1716. editis.

** Patet illud clarissime ex THEODORICI II. Archi-Episcopi & Electoris Conionensis, *de Ordinandis Iudiciis Ecclesiasticis Statutis* apud LÜNIGVM *Spicilegii Eccles. Partis Primae Continuatione*, p. 597. vbi non solum in Titulo, post Officiale, Sigillifero statim locus assignatur, sed & ipsis articulis N. XXII. p. 598. b. patet: *Quod OFFICIALIS & SIGILLIFER nostri debent esse diligentes circa Iurisdictionem, & VNVS ASSISTET ALTERI, vt eo honestius regatur Curia, & diligenter Sigillum Domini promoueatur.* Numeroque satim subsequenti XXV. de reis pauperibus: *Quod si duo de Scabinis illius Iudicii personaliter, aut per eorum litteras Sigillo munitas, iuramento mediante OFFICIALEM & SIGILLIFERVM nostros de huiusmodi rei paupertate certificauerint. Et N. XXXIX. p. 599. Quod OFFICIALIS & SIGILLIFER mutuo inter se deliberent, se informant, & informari se faciant de meritis causae, ante quam aliquod Interdictum ponatur, tandemque N. LXXIII. p. 601. OFFICIALIS noster non dabit alicui absolutionem ex officio, nisi subsit magna necessitas & ex rationabili causa, de consensu tamen partis & SCITV SIGILLIFERI.* Adhuc

Iudices * habere Episcopales non infimum, eosdemque cum Vicariis Archidiaconorum ** & Officiali Foraneo *** coniungi. Quibus instructi esse debeant dotibus corporis & animi diuersae loquuntur Ecclesiarum Leges & Statuta, quaedam vel Presbyterum vel saltim coelibem requirunt. Sub muneris auspicia eosdem singulari iure iurando * obstringi, cum vsus & obseruantia postulauit, tum ipsa muneris quod sane est arduum ratio. Primae certe *Sigilliferorum* Muneris partes in eo, ni fallor, consistunt, vt Curiae Episcopalis Iudicii, quod vocant Officialatus, Cancellariae curam accurate gerant ** prouideantque, vt omnibus quae iure sunt disceptata, vel eo a Iudicio diuulgantur, Sigillum imprimatur *** Officialitatis, quaeque pro Sigillo

formationem Iudicii Ecclesiastici supremi Colon. ap. LVNIG, P. I. Cont. I. p. 670. n. 1. Ipse (SIGILLIFER) & OFFICIALIS circa Iurisdictionem nostram diligentes sint, vnus alteri assistat ac simul Iurisdictionem nostram contra violatores tueantur & defendant, seu ad nos referant quemadmodum habent statuta a Praedecessoribus nostris edita.

* In IOANNIS Episcopi Leodiensis Reformatione Iudiciorum Ecclesiasticorum suae Dioeceseos de anno 1446. ap. LVNIGIVM l. c. Parte II. p. 524. cum aliis Iudicibus coniungitur, verbis: *Item inhihemus, ne de cetero aliquis sit IVDEX & SIGILLIFER NOSTER seu Vicarius & componens in eadem curia.* Et in *Appendice Partis II. p. 143.* in Francisci Wilhelmi Episcopi Mindensis *Statutis Synodalibus Part. III. Decreto III.* inter tales perfonas quae iudicandi habent potestatem, ponitur.

** In excitata iam Ioannis Leodiensis Reformatione p. 521. b.

*** Eadem Reformatio p. 520. b. *Item si contigit SIGILLIFERVM vel OFFICIALEM FORANEVM apponere manus ad bona mobilia Presbyteri.*

* Reperitur in GEORGII I. Episcopi Bambergensis Reformatione *Consistorii Iudicii Decanalis* de a. 1463. ap. LVNIGIVM l. c. p. 69. a. Iurisiurandi a Sigillifero praestandi formula, quae tamen ad eas Officii huius partes est directa, quae in Episcopatu Bambergensi eum eodem coniunguntur, aliaque recitatur p. 74. b. in HENRICI Episcopi Bambergensis *Confirmatione & Interpretatione superioris Reformationis.*

** Huc spectant bene multa, de quibus Reformatio HERMANNI Colonien-
sis apud LVNIG P. I. Cont. p. 670. n. 2. & GEORGII p. 62. n. 9.

*** Quibus chartis quae ratione Sigillum adponere debeant in laudata Ge-
orgii Reformatione disponitur p. 66. N. XXXVI. cuius verba omnia ob pa-
gellae angustiam recitare haec possum

gillo solui debent accipiant, † diligenter custodiant, * accepti expensique rationes accurate conficiant, talesque etiam ab aliis potissimum Fiscalibus recipiant, quorum negligentiam supplere debent.** In ipso Episcopali Iudicio quarundam Ecclesiarum audientiam, vt vocant, in causis grauioribus ipsi praebent, *** decretumque praeterea Aggrauationes sine ipsorum consensu haur esse faciendas. * Multa quoque ipsis in Officiales Curiae Episcopalis concessa auctoritas, ** Indicesque agunt in Officialium & Clericorum delictis & Excessibus vel indagandis, vel poena coercedis, *** aliisque & similibus in causis, quas Lector Propitiae Statuta

† Excitatis supra Theodorici Colonienfis Statutis, apud LVNIGIVM *Part. I. Cont. p. 599. a. N. XXXIII.* longa serie enumeratur Taxa, vt vocant Sigilli, ad quam Benignum remitto Lectorem, in Georgii autem Bambergenfis *Reform. p. 66. n. 37. & p. 67. n. 42.* auaritia horum obex ponitur aliaque Ecclesiae Bambergenfis Taxa recensetur.

* THEODORICVS Colonienfis, *l. c. p. 599. N. XXXI.* *Sigillifer habebit vnam cistam cum duobus Clauibus, quarum vnam Dominus noster habebit, aliam Sigillifer & pecunias prouenientes de Sigillo fideliter ponat in illam Cistam.*

** THEODORICVS *l. c. p. 599.* *Sigillifer recipiet Computum & rationem semper in Quartali anni ab Audientiaro & etiam examinabit monitiones per Fiscales emissas, & etiam in causis matrimonialibus, vt Sigillum non defraudetur: & in talibus seu in quibus Fiscales negligentes fuissent hoc Sigillifer recuperabit iuxta suum posse.*

*** IDEM *l. c. p. 601.* postquam de Audientia in loco Iudicii per Notarium habenda disposuisset, subiungit: *Causas vero praegnantas & graues remittant ad Officalem & Sigilliferum.*

* IDEM *l. c. p. 598. n. 19.* vbi de modo Excommunicationis: *Quod de Iure excommunicantur, Indices tales Aggrauationem non debent dare absque scitu & signaturis Officialis & Sigilliferi.*

** Cum in constituendis Officialibus, tum eorum ministerio, quo pertinet Ordinatio THEODORICI *p. 597. n. 4.* *Officialis & Sigillifer nostri non vendant, neque conferant Officia Aulie absque speciali nostro consensu vel mandato.* Et *p. 601. n. 82.* statuitur: *neminem officiariorum absque licentia Sigilliferi speciali, ab assistentia Aulae cessare debere.*

*** THEODORICVS *l. c. p. 597. n. VII.* *Si Officiarii & membra Curiae nostrae aliquos Excessus commiserint, & in Officiis eorum negligentes extiterint & partes neglexerint: decernimus, quod Sigillifer noster possit & debeat eos charitativè monere & corrigere, suspendere ab officio & priuare. & n. 17. p. 598.*

DISSERTATIO EPISTOLICA.

Statuta Ecclesiarum, quae excitari, aliaque quae hac vice perquirere non potui, monstrabunt. Quae omnia festinanter collecta summatimque indicata satis docent, *Sigilliferorum* in Curiis Episcoporum Germaniae, graue esse munus, ac eximiam plane eorundem auctoritatem, ita tamen comparatam, vt limites Dioeceseos excedere nulla ratione possit. Haec de *Sigilliferis* recordatio, forte subibat mentem, quando recognoscerem, TIBI Illustris ac Magnifice Vir, Patrone, Amplificator obseruantissime colende, nudius tertius inter Procerum Academiae, ciuiumque non literatorum solum, sed omnium, quos Iena meliores habet, summos plausus, ardentissimaque pro Regiminis TUI felicitate vota, cum aliis Consulatus Academici Insignibus, Tria illa *Academiae Sigilla*, quae IOANNIS FRIDERICI Electoris, diuini plane Principis, Conditoris huius propter Salam Vniuersitatis, imaginem referunt, iterum fuisse tradita. Cumque pietas & quae Clientem, maximis per tot annos beneficiis cumulatam, decet obseruantiae lex, inter congratulantium concentus & voces, quibus quiete & multorum cum voluptate personabat Iena nostra, gaudii mei publicam quandam significationem postulare, dare sub hoc argumento eandem sustinui, quod quidem Tuis Magnifice Vir, oculis, Eruditorumque qui summi TUI Nominis titulis, quos in fronte gerit leuidensis scriptio excitati, eandem forte suscipient, plane non dignum esse, scio,

rum corrigendos. Consentit n. 65. p. 600. n. 68. p. 601. Aduocati, Procuratores & Notarii Curiae nostrae non habeant Concubinas in suis domibus; & si eas habuerint, sine mora expellant, sub poena priuationis suorum officiorum super quo Officialis & Sigilliferi pro tempore conscientiam oneramus. Adde omnino Ruperti Colonienensis Statutum de Iudicio Officialatus de a. 1470. p. 605. verbis: Item statuimus. Eadem confirmantur in HERMANNI Colonienensis Reformatione supremi Iudicii Ecclesiastici de a. 1528. ap. LVNIGIVM l. c. P. I. Cont. p. 670. n. 3. de Sigillifero: Et generaliter cum Consilio Officialis Excessus, negligentias aliaque correctione digna Procuratorum, Notariorum, Bancalium, Latorum Literarum & Auditoriarum emendet. & N. V. notoria Presbyterorum Crimina siue excessus, non sinat redimi pecunia, sed perpetua, aut temporali suspensione, aut alia poena canonica, pro modo cul-pae corrigat. Adiunge Lector Benigne Georgii Bambergensis Reform. p. 62. n. 12.

DE SIGILLIFERIS EPISC. DISSERT. EPISTOL.

scio, meique saltem, si animum pii fideique Clientis respicis, obsequii esse volo argumentum. Dederunt certe hac *Sigillorum* publica & solemni collatione Patres Academici venerabiles, summae spectatissimaque TVAE Magnifice Vir virtutis immortale documentum, cum *Sigillorum Authenticorum* summa semper fuerit auctoritas, * horumque custodia ab omni aevo, maximis fidissimisque commissis sit Viris, ** constetque abunde, veritatis, publicae fidei, auctoritatis ac iustitiae conseruationem eadem contineri. Salue igitur *Sigillorum* non solum, sed publicae tranquillitatis, legumque *Custos* fidissime, pie, iuste, salue immortalisque Dei, quem religiosissime colis, quique *Consulatum* Tuum *primum* Academiae fecit auspiciatissimum, subnixus ope, iterum, fide, iustitia, prudentia, quas in Te virtutes praedicant omnes, clauum Rei publicae huius literatae feliciter dirige. Faxit praepotens, cuius nutu res omnes, hominumque etiam mentes moderantur, Numen, ut Academiae nostrae ea sit conditio, qualis erat aeternae Urbis, cum Augustus Imp. Maecenati atque Agrippae Sigilli custodiam commisisset, *** hoc est pacata & florentissima, suaque perficiat benignitate, ut plures sub hoc TVO Consulatu sint, qui *Sigillum* Tuae fidei commissum esse velint publici de doctrina virtuteque testimonii firmamentum, quam, ut sub eiusdem facie, ad dicendas in Senatu causas, euocentur, vel ob malos mores vitaeque peruersitatem proborum consortio indigni, ciuitate plane eiiciantur. Per scripta d. x. Februar. Anno post reparatam salutem CIO IO CC XX.

* Quod THEODORVS HOEPINGK, Imperialis apud Friedbergenses Castris Advocatus & Syndicus, luculento eruditoque de *Sigillorum prisco & nouo* *Lu-*
re, Libro egregie demonstrauit.

** Compara HOEPINGKIVM *cap. VI.*

*** DIO CASSIVS *Lib. LIII.*



Kv-2104^d

ULB Halle


3

005 813 875



VOR







1720

DE
SIGILLIFERIS EPISCOPORVM
CVM PRIMIS
GERMANIAE

BREVITER QVAEDAM STRICTIMQVE DISSERIT
ATQVE
SVB HOC ARGVMENTO

MAGNIFICO AC ILLVSTRI
VIRO
DOMINO
BYRCARDO GOTTHELFFIO
STRUVIO

IVRIS CONSVLTO CELEBRATISSIMI NOMINIS
SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM ERNESTINAE PROSAPIAE
VT ET SERENISSIMI MARGGRAVII BRANDENBVRO- CVLMBA
CENSIS CONSILIARIO ETIAM AVLICO DVICALI HISTORICO
IVRIS ET HISTORIVM PROFESSORI PVBLICO

PATRONO INDVLGENTISSIMO
FASCES ET SIGILLA
ACADEMIAE IENENSIS

ITERVM
SOLEMNI CAERIMONIA
SVSCEPTA
EA QVAE CLIENTEM DECET
OBSERVANTIA GRATVLATVR

CHRISTIANVS GOTTLIEB BVDER

IENAE LITERIS FICKELSCHERRIANIS.

2104

